

causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humanae societatis damnum cederet. — *Ita communissime theologi.* — S. Lig. *de II Praecepto*, n. 151-152. — Lacroix, lib. 3. n. 287. — Suarez, Lugo, Laymann, Sporer, Elbel *et alii innumeri*, teste S. Lig. *ibid.*

Licet vero uti eiusmodi lata restrictione etiam cum iuramento; quamquam maior causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine iudicio usurpandum. — S. Lig. n. 151.

444. **Resolves.** — 1^o Culpa non caret, qui utitur restrictione etiam non pure mentali, aut aequivocatione aliquo modo perceptibili, 1^o si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2^o si interrogans habeat ius inquirendi aut imperandi veritatis confessionem, quia iuri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate. — S. Lig. n. 154. Adde 3^o si exinde damnum proximi emergeret contra praeceptum charitatis; 4^o quando contractus mutui celebrantur; quo in casu iustitia postulat, ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. — Scav. *de Actib. relig. extern.* c. 2. art. 2.

2^o Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio*; quia Confessarius id nescit scientia communicabili. Imo etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia communicabili?* respondere adhuc posset: *Nescio*. Ratio est, quia tyrannus bene cognoscit, se ius non habere de hoc interrogandi, nec Confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei ac proinde scientia incommunicabili.

3^o Reus a iudice non *inridice* aut non *legitime* interrogatus potest respondere se crimen non patrasse, subintelligendo, de quo possit inquire, seu quod fateri teneatur. — S. Lig. l. 3. n. 154.

4^o Possunt uti huiusmodi restrictione omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5^o Potest famulus iussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. — S. Lig. n. 165. — V. *Casus*, n. 114. et seq.

CAPUT II.

DE DETRACTIONE

1^o De vitio detractionis; 2^o de restitutione famae.

ARTICULUS I. — DE VITIO DETRACTIONIS.

445. — Detractio est occulta et iniusta violatio famae alienae, seu denigratio iniusta famae proximi absentis. Fama autem est bona aestimatio, quam alii habent de vita et moribus alicuius (1).

Detractio dicitur *simpliciter talis*, si fama proximi violetur revelatione criminis veri; *calumniata* autem denominatur, si famae violatio ex appositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1^o *directe*, si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2^o *indirecte*, negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo aliis laudantibus, vel frigide laudando.

446. **Principia.** — I. Omnis detractio *directa*, sive sit *calumniata*, sive detractio *simpliciter*, est mortalis ex genere suo, quia est contra iustitiam; et quidem gravius est peccatum, quam furtum, quia maiori bono proximum iniuste privat, ut constat ex sensu communi et ex Scriptura sacra, *Prov. 22. 1.*, ubi dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae*; et ibidem, 24, 9.: *Abominatio hominum detractor.*

II. Gravitas vel levitas detractionis desumenda est precipue ex gravitate vel levitate damni, quod proximus ex ea pati potest, et non tantum ex gravitate defectus seu criminis, quod de proximo narratur. Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractionis gravitatem attendendum est ad qualitatem 1^o personae *detrahentis*, scilicet an sit gravis et discreta, an garrula et levis; 2^o personae *laesae*, an sit bonae vel malae famae, etc... Ratio est, quia maior fides praestabitur pro maiori vel minori loquentis auctoritate; item maius vel minus sequetur famae detrimentum pro ratione maioris vel minoris aestimationis, qua persona laesa gaudet. — S. Lig. n. 967.

447. — III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere, ut constat ex propositione 44^a ab Innoc. XI damnata. Licet tamen iusta de causa

(1) Nimis forte A. detractionis materiam coaretat. Quippe excellentia, cuius laedi potest aestimatio, non solum est virtus et honestas, sed etiam sapientia, doctrina, ingenium, eloquentia, indoles egregia etc.,

imo sunt et bona corporis, vel fortunae, ut vires, pulchritudo (qua commendantur feminae), valetudo, nobilitas, opes, natales legitimi etc. Haec et eiusmodi A. tangit infr. 456. Res. 9.

crimen alterius occultum etiam cum iactura famae ipsius manifestare; quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc ius proximi ad famam conservandam a potiori iure eliditur. — S. Lig. n. 972.

IV. Causae autem, propter quas licite crimen alterius revelari potest, sunt sequentes: 1^o utilitas notabilis revelantis ipsius, verbi gratia ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractionem; 2^o utilitas delinquentis, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem, etc.; 3^o utilitas publica, uti ad impedienda mala Reipublicae vel Religioni aut alicui Communitati imminencia; — 4^o utilitas gravis etiam privata sive audientium, sive aliorum, v. gr. ut a malis, damnis aut incommodis certe aut probabiliter eventuris liberentur.

Ratio horum est, quia tunc peccata alterius manifestans non laedit iustitiam nec charitatem. 1^o *Non laedit iustitiam*, quia proximus non habet ius ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando eius manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum; 2^o *Non laedit charitatem*, quia charitas non obligat cum gravi incommodo; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui quantumvis magnum cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celere (2). — S. Lig. n. 968.

448. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An peccet graviter, qui revelat unicum peccatum mortale alterius?*

Resp. 1^o Non est semper peccatum grave revelare peccatum alterius, etiamsi pluribus manifestetur. Attendendum igitur est ad rerum et personarum adiuncta, ex quibus colliges, an aliquis gravem famae iacturam ex peccati revelatione patiatur.

Resp. 2^o Si peccatum graviter dedecoret sive in se sive relative ad infamatum, certo detractor graviter delinquit, quoties huiusmodi peccatum licet unicum pluribus manifestat, quia grave famae damnum proximo inferitur.

Resp. 3^o An vero sit mortale huiusmodi peccatum unico viro prudenti et discreto revelare seclusa speciali malitia, *controvertitur*.

1^a SENTENTIA *communior et probabilior* dicit, graviter peccari, nisi inadvertentia aut magna levitas excuset. Ratio est, 1^o quia laesio famae etiam apud unam personam gravem gravis censetur, ut patet ex iudicio

(2) Imo charitas in hisce adiunctis postulat, ut ne veritas occultetur. Charitas enim ordinata esse debet: ordinata autem charitas exigit, ut innocenti potius faveatur, quam reo. Proinde perversissime agit,

qui, ne quid mali obveniat latroni, aut furi, pravis sociis, aut honestatis insidiatori, etc. silentio suo committit, ut vita, vel fortunae, vel innocentia, aut honestas aliorum periclitentur.

temerario, quod *per se* grave est; 2^o quia saepe homines aegrius ferunt, se laedi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias.

II^a SENTENTIA *satis probabilis negat*. Ratio est, quia cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit. — S. Lig. *ut probabile* habet n. 973 (3).

449. — **QUAER.** 2^o *An specie differant detractiones in materiis specie diversis?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

1^a SENTENTIA *affirmat*. Ratio est, quia alia est fama, quam quis possidet, v. gr. de castitate, et alia quam habet de iustitia; siquidem non est diffamatus in fornicatione, quamvis sit dedecoratus in furto.

II^a SENTENTIA *negat*. Ratio est, quia licet tales detractiones materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam hominis famam laedunt, eo quod tendunt in unicum obiectum formale, sicut contumeliae sunt eiusdem speciei propter unitatem honoris, contra quem tendunt. — Lugo, *de Poenit.* D. 16. n. 265. etc. (4).

(3) In hanc rem affert S. Alphonsus (l. c.) haec verba S. Thomae (Quodlib. 11. art. 13. ad 3.): *Si aliquis referat praelato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid eiusmodi, quod ad emendam proximi videret expedire, non peccat. Si autem hoc sive praelato sive alicui amico suo ex malitia referat, tunc peccat mortaliter. Quod si ex incautela alicui dixerit hoc, ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia, vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat.* Quibus postremis verbis S. Alphonsus hoc subiicit commentarium: *Nec dicas, verbum illud, ex incautela, intelligi pro inadvertentia; ex hac enim nunquam peccatur mortaliter; sed omnino intelligitur imprudentia sive levitas animi, quae tantum est venialis; et tunc tantum erit mortalis, cum ex ea inde proveniat delinquenti infamia aut vituperium.* Verum eiusmodi commentarium est paulo obscurum.

Equidem ut snus verbis S. Thomae sensus tribuatur, duplex statui potest hypothesis:

prima est, quod qui crimen revelat, nescat, nullum aliud damnum inde eventurum; tamen rationabilem causam non habeat revelandi crimen; et tunc locum habet, quod S. Alphonsus dicit, peccari venialiter levitate animi, unde diffamatio sequitur probabiliter levis. Alia hypothesis est, quod qui crimen revelat, non habeat prae oculis damnum proximi, quod sequi inde potest; et tunc quid a mortali culpa potest illum excusare, nisi inadvertentia? Etenim palam est, non posse nos S. Thomae eiusmodi sensum affingere ut venialis vel mortalis diiudicetur detractio tantum ex eventu, de quo revelans crimen nihil cogitaverit. Sic itaque intelligenda sunt etiam S. Alphonsi verba.

(4) Imprudenter ergo Confessarius exigeret a poenitente, ut detractionis materiam exprimat; tum quia iniuste certam imponeret obligationem, quam utpote incertam, poenitens non habet; tum etiam quia non raro ipsa confessio a detractionis vitio non esset immunis, cum exinde et personae et personarum crimina innotescere Confessario queant.

Caeterum Croix (l. 5. n. 161.) a quo et

QUAER. 3^o *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus?*

Resp. Affirm., quia hoc nec contra iustitiam videtur esse, nec contra charitatem, sive sit publicum publicitate iuris sive publicitate facti. — S. Lig. n. 974.

S. Alphonsus pendere videtur, quaestioni huic confusionem potius attulit, quam claritatem. Et sane si auctores inspicias contra quos pugnat, reperies eos contententes, has contumelias *in una infima specie convenire*, et idcirco (ut ipse Croix ex eorum sententia refert) eas *conflare unam infamiam maiorem*. Pari modo si inspicias eos, quos illis Croix opponit cernes contra *pro specie multiplici* eos stare. Ita v. gr. Navarrus (*Sum. cap. 6. n. 18.*) plura adesse peccata tenet, quia illa *verba iniuriosa* non sunt *unius speciei*; nec aliter Azor (p. 1. lib. 4. cap. 4. q. 5.): *Respondeo, specie fieri multa, et augeri numero, quando sermo refertur ad obiecta specie diversa veluti si Titius contumeliose Caium compellet haereticum, latronem, adulterum, tria peccata committit specie diversa*. Post haec vero Croix, quasi ex allegatorum auctorum sensu disputaret, primum quidem aequivocis phrasibus utitur *diversitatum vel famae vel obiectorum* et concludit deinde, has famas non magis *posse conflare unam numero famam, quam tria ieiunia unum ieiunium*, quasi in super transgressio triplex ieiunii comparanda foret cum pluribus contumeliis *uno actu* prolatis, ut fert quaestio ab ipso proposita, aut dubium moveri posset, an tria ieiunia *specie differant*. Et ita quidem tenebris obvolvitur, tum cur auctores allegaverit, tum quibus principiis innixus eam resolutionem depromat. S. Alph. autem (l. 5. n. 48.), auctores, a quibus recedit, eosdem allegat ac Croix, nisi quod Azorium coniungit cum Lugo negante plura committi peccata, cum tamen Azorius (ut patet ex allegatis sup. eius verbis) oppositam, ac Lugo, sententiam teneat

atque his illos opponit, quos opposuit et Croix, addens Collet, Holzmann et Concinam. Porro ratio cur S. Doctor parti affirmanti adhaeserit, ea est quam ex Holzmann (l. 1. n. 674.) et Croix (l. c.) mutuatus est, quod *laedantur diversa iura ad famam vel honorem; per hoc enim quod aliquis sit diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio*. Quod argumentum evinceret, eas contumelias esse diversas specie, prouti reipsa sic arguebant multiplicis speciei patroni. Contra quos sic disserit Lugo (*De Poenit. d. 16. n. 265.*): *Optimam rationem reddit (Molina), quia scilicet omnes contumelias accipiunt malitiam ex eo, quod laedant honorem, sicut furta laedunt fortunas: ergo sicut furta sunt eiusdem speciei in ratione furti, sive hoc modo fiant sive illo; sic de ablatione honoris dicendum est. Unde idem dicendum est de detractioe, non variari specie pro diversitate materiae, in qua aufertur fama, quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. Similiter in iudicio temerario non oportet explicare materiam, in qua iudicatur, sed sufficit dicere: toties in materia gravi temere iudicavi de aliquibus; quia bona etiam existimatio, quae per iudicium temerarium aufertur, eiusdem speciei est in genere moris.*

Et hinc obvium fit responsum ad ea, quae habet Croix (l. c.) scilicet *tria esse peccata, quia laeduntur iura ad tres diversas famas; nam per hoc quod quis est laudabilis in virtute iustitiae, non fit laudabilis in virtute castitatis, et per hoc, quod sciatur esse fur, non ideo scitur esse impudicus, sed retinet*

450. — *QUAER. 4^o An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco, ubi ignoratur?*

Resp. 1^o Affirm. probabilius per se, saltem absque peccato gravi, si agatur de loco vicino, seu de loco ubi facile et brevi publicandum est. Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magna aestimationis est, et moraliter loquendo iam abiecta est.

Resp. 2^o Si agatur de locis, ad quae divulgatio non est perventura, aut non nisi post diuturnum tempus, distinguendum est:

1^o *Quoad notorietatem iuris*, 1^o Non est contra iustitiam, quia iudex, quando publice aliquem condemnat, intendit reum spoliare fama, ut caeteris ubique sit in exemplum. *Ita communiter*. — 2^o *Nec probabilius est contra charitatem, saltem graviter, quia ad bonum commune magnopere confert, sententiam ubique vulgari, ut efficacior sit poena, ac*

ius ad hanc famam; ergo hae famae sunt diversa obiecta. Nam alius facile regeat: tria esse peccata, quia laeduntur iura ad tres diversas fortunas (finge bovem, equum et currum): nam per hoc quod quis sit iustus possessor bovis non ideo fit iustus possessor equi aut currus; et per hoc quod male possideat equum, non ideo est iniustus possessor bovis sed in hunc retinet ius suum; ergo hae fortunae seu substantiae sunt diversa obiecta. Hoc utique nec Croix, nec eius asseclae possunt aut volunt admittere; sed quanam disparitas assignari potest? S. Alphonsus, ut occurreret difficultati, (l. c.) scribebat: *Nec obstat, quod is, qui aufert plures res diversas, unicum committit furtum, nam tunc unicum laeditur ius illius ad bona sua; sed quando diffamatur in pluribus materiis, plura eius iura laeduntur iuxta plures respectus, quos fama habet ad diversas virtutes*. Verum alius eodem modo poterit sic ratiocinari, ut evineat plura esse ibi furta. Nec obstat, quod is, qui diffamat in pluribus diversis materiis, unicum committit detractioem; nam tunc unicum laeditur ius illius ad famam suam. *Quoniam* (ut inquit Molina tom. 5. disp. 19. n. 3.), *iniustitia detractioe non consistit in*

eo, quo tamquam medio et instrumento iniuste famae proximi praeiudicatur... sed consistit in praeiudicio famae proximi illato; quare cum obiectum detractioe late sumptae sit fama quoad praeiudicium, cum iniuste illi inferatur non vero diversa media, quibus id praeiudicium inferatur, praeiudiciumque iniuste illatum semper sit eiusdem rationis, quocumque medio id praeiudicium inferatur.... consequens est, quod unicum laeditur alterius ius ad famam. Sed quando laeditur quis in pluribus diversis bonis fortunae plura eius iura laeduntur iuxta plures respectus, quos ius proprietatis habet ad diversa fortunae bona. Numquid vero minus roboris habet haec ratiocinatio, ac praecedens S. Alphonsi? Nimirum diversae contumeliae seu detractioes, non secus ac diversa furti obiecta, diversitatem habent solum in esse *physico*, non vero in *moralis*. Quocirca bene concludit Bonacina (*De Pecc. disp. 2. q. 4. p. 2. n. 43.*), opinionem, quae plurium iniuriarum diversitatem in confessione exprimendam esse contendit, eodem loco esse habendam ac quae tenet, in confessione aperiendam esse prorsus determinatam furti quantitatem.